

Dissertatio inauguralis medica de potulentis ... / [Philipp Anton Schnorbusch].

Contributors

Schnorbusch, Philipp Anton.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Joannis Christophori Heringii, [1750]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bwbvacw3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

13
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE
POTVLENTIS,

QVAM
AVCTORITATE
INCLYTI ORDINIS MEDICI
IN PERANTIQA HIERANA
PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ATQVE IMMVNITATIBVS
RITE ET SOLENNITER ADIPISCENDIS

DEFENDET
AVCTOR
**PHILIPPVS ANTONIVS
SCHNORBVSCH**

HIBSTADIO-EICHSFELDIACVS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS
HORIS CONSVETIS

DIE XI. APRILIS, MDCCCL.

ERFORDIÆ
TYPIS JOANNIS CHRISTOPHORI HERINGII
ACAD. TYPOGR.

DEPARTMENT OF THE INTERIOR

DEPT.

OFFICE OF THE SECRETARY

WASHINGTON

ACTING SECRETARY

IN CHARGE OF THE OFFICE

OF THE LANDS

AND

MINERAL RESOURCES

OF THE UNITED STATES

OF THE TERRITORIES

AND OF THE DISTRICTS

OF COLUMBIA

AND OF THE

WESTERN TERRITORIES

AND OF THE

INDIAN TERRITORIES

AND OF THE DISTRICTS

OF COLUMBIA

AND OF THE

WESTERN TERRITORIES

AND OF THE

INDIAN TERRITORIES

AND OF THE



PROOEMIUM.

Ex præsumpta opinione, ut ægrotis remedia afferat tantum Medici exigere officium, nonnulli arbitrantur.

Principiis obstandum esse, quia sero sæpe medicina paretur, veteres haud inconcinne judicarunt. Hinc rationibus recte subductis, summam facio, Medicorum officio recte fungi

a

nemi-

neminem, nisi qui regulas diæteticas in succum & sanguinem converte-rit, aliisque curæ suæ creditis, bene inculcarit. De dissertationis inaugu-ralis materia cogitanti, hæc mentem subiit veritas. Habes itaque, Bene-vole Lector, cur ex fonte diætetico, quam pertractavi, materiam hause-rim. Id restat, ut campo veritatum diæteticarum late patente, cur de potulentis scripserim, indicem. So-lidum atque fluidum duo sunt præ-cipua vitalium humorum elementa. Tres partes ad minimum liquidi ad solidi unam referendas sanguis conti-net humanus. Sine humido nulla nutritio, nulla liquidorum progres-sio, generatio, secretio, excretio, ne-que

que ulla fluiditas aut solidorum unio
vel mixtio animalis fieri potest. San-
guis conveniente fluiditate destitu-
tus per minima vascula ferri nescit.
Hinc cogimus, liquido ad vitam mor-
taliū neminem carere posse. Id
circo de usitatorum potulentorum
natura, usu atque abusu tractatio-
nem sistere, operæ pretium duxi.
Hic labor ut maximi Numinis glo-
riæ, & proximi rebus ac commo-
dis inserviat, tota cupio cogi-
tatione.



TRACTATIONIS SYNOPSIS.

§. I. Fluidorum ac liquidorum definitiones atque primaria attributa enarrantur. §. II. Aquæ descriptionem & partes constitutivas, §. III. ejus attributa, §. IV. illius divisionem sistunt. §. V. De aquis bonæ notæ, §. VI. de insalubribus, §. VII. de aquarum scrutinio agit. §. VIII. Illarum correctionem docet. §. IX. Usus indicat. §. X. Noxam prodit. §. XI. De aquis mineralibus in genere exponit. §. XII. Earum originem explicat. §. XIII. Partem illarum spirituosam. §. XIV. salinam, §. XV. Vitriolicam, §. XVI. terream indicant. §. XVII. Aquarum mineralium effectum, §. XVIII. earum usum, §. XIX. cautelas sub usu observandas ostendunt. §. XX. Egrotis de earum noxa prospicit. §. XXI. Definitionem & partes vini constitutivas, §. XXII. boni signa, §. XXIII. vilia & adulterata, §. XXIV. varia vini genera, §. XXV. loca vinum generosum proferentia, §. XXVI. Vini usum, §. XXVII. ejus abusus enumerant. §. XXVIII. Quid sit Cyder, §. XXIX. spiritus vini, §. XXX. acetum, patrefaciunt. §. XXXI. Cerevisiæ definitio & partes, §. XXXII. cautela in ejus coctione observanda, §. XXXIII. cerevisiæ bona §. XXXIV. mala indoles, §. XXXV. diversa ejus genera occurrunt. §. XXXVI. De cerevisiis aromatizatis, §. XXXVII. de cerevisiæ usu tradit. §. XXXVIII. de mulso, §. XXXIX. de chocolada. §. XL. de hujus præparatione, §. XLI. de usu & abusu agit. §. XLII. Caffæ definitio & partes, §. XLIII. locus, ubi crescit, §. XLIV. signa bonitatis, §. XLV. ejus præparatio, §. XLVI. adulteratio, §. XLVII. usus & abusus in medium proferuntur. §. XLVIII. Theæ definitionem & ingredientia, §. XLIX. ejus collectionem ac præparationem, §. L. diversas species, §. LI. bonitatis signa, §. LII. adulterationem, §. LIII. usum enumerant. §. LIV. De thea succidanea agit & §. LV. totam tractationem claudit.



§. I.



fluidum est particularum minimarum figil- *Fluidorum*
latim insensibilium, tam leviter inter se *definitio ac*
cohærentium, ut quantitatis ad maxi- *primaria as-*
mum piso æqualis pondus cohæfione par- *tributa.*
tium inter se majus sit, congeries. Fluida

maiore copia collecta superficiem hori-
zontalem ultrò admittentia liquida audiunt. Illa liqui-
da quæ homines, vel alia animalia ad levandam sitim ore
haurire solent, potulenta dicuntur. Quoniam attribu-
ta fluidorum accuratè nosse, cognitionem potulento-
rum eorumque effectuum multum iuvat: illorum men-
tionem hic facere, non supervacaneum duco. Fluido-
rum liquiditas est gravitatis eorundem ab alia vi non
impeditæ effectus. In duobus canalibus inter se con-
nexis fluida gravia liquida & homogenea altitudine
gaudent æquali perpendiculari. Si vero sunt hætero-
genea, eorum altitudinibus reciproce ut gravitates re-
ciproce existentibus, demum in æquilibrio erunt. Quæ-
libet ad abjacentibus tantum premitur sursum liquidi

columna,

columna, quantum gravitate sua tendit deorsum. Fluida ab incumbente fluido pressa versus omnes plagas premendo agunt, & versus in eodem plano horizontali fitas æqualiter. Minori quantitate fluidi à majori ablata, vi gravitati partis sublatae æquali pars ejus columnæ inferior ascendet. Corpus solidum in liquidum specificè gravius vel levius immersum in hoc majorem, in isto vero minorem ponderis sui partem apparenter amittet. Ad fluidorum indolem perspiciendam multum quoque facit mixtionis cognitio, quæ talis partium minimarum diversorum corporum coordinatio, qua quævis unius corporis particula aliam alterius attingit. Diversæ fluidum constituentes particulæ tam per se ad continuum motum inclinant, quam etiam ab aëre, igne aliisque causis externis juvantur. Si fluida gravitate specifica quidem sunt diversa, sed vel ambo particulis æqualibus, vel specificè levius insufficienter minoribus gaudent, difficilior eorum est mixtio. Promptissima contra mixtio observatur, quando fluidi specificè levioris particulæ interstitiis fluidi specificè gravioris æquales vel minores sunt. Attamen imperfecte quævis fluida, impetu a gravitate specifica majori infusi, vel ab ejus descensu vel a vasis concussione accedente, cito misceri queunt, licet hac ratione facta mixtio durabilis non sit. Mixtionem vero perfectam diuque durantem in iis deprehendimus, ubi particulæ ratione gravitatis specificæ atque magnitudinis sunt, vel quam proxime æquales. Perfecta mixtione quædam fluidi producit alteratio. Particulæ sensibiles interstitiis fluidorum inhærentes, spe-

specifice leviora elastica, a fluido compressa, penetratione fluidi accedentis cito contingente; magno numero ascendunt, & remota pressione, sese expandunt, fluidum, in quo hærent, versus superiora pellunt, sicque efficiunt ebullitionem, quæ cum calore facta effervescentia; tarde turgescendo contingens, fermentatio audit. Particulæ interstitiis fluidorum inhærentes minus elasticæ in utriusque fluidi miscendi interstitiis se unientes, majus occupando spatium, æquilibrium columnarum fluidi mutant & vel specifice leviores ascendunt, vel graviores fundum petunt, quem exitum præcipitationem vocant. Cum hætenus dictis si adhæSIONIS leges conferuntur, usui fluidorum in corpore humano non potest non lumen affundi. Constat enim ex principiis Phisicis, unum idemque fluidum corporibus solidis specificè gravioribus diversæ densitatis, diversa adhærere vi; ita quidem, ut quo magis gravitas fluidi specificè levioris ad specificam solidi gravitatem accedat, eo major sit adhæSIO. Vasorum figura, situs, impulsus fluidorum secretionem etiam multum juvant. Hæc omnia fusius pertractari possent, nisi scopus ad specialem usitatorum potulentorum lustrationem nos avocaret.

§. II.

Aqua est corpus liquidum, pellucidum, insipidum, *Aqua de-* inter aërem atque terram situ medium, in quo solida, *scriptio §* nisi admodum porosa, subsident, & quod in aëre libero *part. con-* cadens in guttulas sese resolvit. *stit.* Partes ejus constitutivæ substantia spiritiuosa volatilis, humidum, solidum, quod est ordinaria vel ad salis indolem accedens terra.

§. III.

*Aquæ attri-
buita.*

Aqua est corpus fluidum, aëre specificè gravius, terra levius, particulis gaudet sphaericis vel sphaeroidicis, quæ fortius cohærent aëre. Ex loco altiori in profundiorē semper movetur, nisi id impendant solida. Terrestria humectat, exceptis pinguibus & valde porosis. Terrestria non nimis solida resolvit. Sitim levat.

§. IV.

*Aquarum
divisio.*

Aquæ ordinariæ in frigidas dividuntur & calidas, illæ iterum in dulces distinguuntur atque Salinas e. g. marinam, acidulas, ut Selteranæ. Has thermas vocant, quo pertinent Carolinæ, Pyrmontanæ, &c. de quibus aliisque passim mentio suo loco fiet. A loco, unde desumuntur aquæ, varia nomina accipere solent v. c. pluvialis, fontanæ, fluvialis &c. quæ ratione originis inter se habent cognationem; fontes enim atque flumina ex pluviae, nebulæ, nubium, nivis, roris ac pruinae collectione oriuntur; nam ex montibus aliisque locis elevatis descendens humiditas, objecto lapidum vel argillæ impenetrabili strato, a latere in loco humiliori prorumpunt. Qui in cacuminibus montium existunt fontes, vaporibus ac nubibus gelu condensatis originem debent. Cum aquis medicatis nobis jam res non est, quoniam ad potulenta ordinaria minus referuntur.

§. V.

*De bonæ no-
tæ aquis.*

Aquæ ad ordinarium usum salubres sunt, quæ particularum spirituosarum seu ætherearum magnam in sinu foveant quantitatem, adeoque levissimæ inveniuntur; limpidæ, inodoræ, insulsæ; cum sapone se facile unientes; legumina optime coquentes; quæ dif-
ficul-

ficulter putrefactionem vel congelationem admittunt; in quibus sapidi pisces hospitantur; quarum ope metalla calcinata facile edulcorantur; cursu excitatae, imprimis ubi super terram vehuntur siliceam, sabulosam, lapidosam, qua percolantur. Aqua pluvialis cum primis Euro vel Austro advecta, quoniam est quasi destillata, subtilior fontanis & fluviatilibus est atque levior, praecipue si ruri & in locis editioribus sub libero jove colligitur, ac postea, sedimento deposito, in figulinis vel vitreis vasis frigidiori loco asservatur. Ad pluvialem proxime accedit fontana imprimis montana, & hac inferior est fluvialis.

§. VI.

Aquae insalubres jure dicuntur qui particulis spirituosus egent, graves, turbidae, ad putredinem pronae, odore atque sapore haud conveniente impraegnatae sunt, & quae particulis heterogeneis, noxam corpori animali inferentibus, scatent. Ex puteo (Cisterna) aquae graves, ac insalubres esse solent, nec non ex nive & glacie; gelu enim aquae elasticitas perit, aether avolat, & particularum textura immutatur. Graviora sunt ex lacu, gravissima ex palude, haec stagnant, solisque calori expositae levioribus particulis abeuntibus, facile putrescunt, complura generant insecta & multum terrae pinguis ac viscidæ in se recipiunt; unde foetor. Aquae in metallorum fodinis vel locis lapidibus calcareis turgentibus repertae insalubribus merito annumerantur, imo omnes aquae minus diureticae & ventrem obstruentes.

§. VII.

§. VII.

*De aquarum
scrutini-
nio.*

Aquarum levitatem ac puritatem cylindro statico investigare licet. Vel canali graviori liquido, colore v. g. croco imbuto, repleto in levius liquidum immerso, gravius enim prorumpit & levius ejus occupat locum. Aquæ calcareæ vel salinæ instillato oleo tartari per deliquium vel solutione sacchari saturni, vel lunæ in aqua forti lacteum induunt colorem. Vitriolo vel terra martiali imprægnatæ, additis gallis pulverisatis, nigrescunt vel purpureo tinguntur colore. Aquæ alcalina indole præditæ cum acidis effervescent, & Syrupo violarum imprægnatæ v. idescunt. Sub antlia pneumatica aqua levis valde ebullit; Igni autem imposita facili negotio evaporat.

§. VIII.

*De aquarum
corre-
ctione.*

Si aqua impurior & insalubrior, ante omnia quamnam heterogenea parte abundet, est dispiciendum. Aquæ calcareæ, nitrosæ optime corriguntur leniori coctione, destillatione vel variarum rerum e. g. vini, aceti vel succi acidi admixtione, acida enim, si aquæ sunt tophaceæ, paludosæ, præcipitant; vel panis tostæ, argillæ tostæ, aut Cornu cervi usti additione, quando scilicet aquæ sulphuræ, terreis particulis involvuntur.

§. IX.

*Utilitas
aqua diete-
tica & the-
rapeutica.*

Si potus ad levandam sitim, siccitatem, crassitiem & acrimoniam corrigendas tantum requiritur; aqua frigida, levissima & pura homini robusto optimus est & antiquissimus potus, quia præcipuam humorum vitalium partem constituit. Quo purior, quo subtilior, quo levior, eo magis sanitati inservit; non autem par-
tibus

tibus heterogeneis referta. Aqua pura omnibus cerevisiis & arte paratis liquoribus, particulis heterogeneis & solidis imprægnatis, salubritate multum antecellit. Ad fluiditatem humoribus conciliandam & succum utilem ex cibis extrahendum, ad referandas obstructions, viscositates dissolvendas, & excrementitias salinas sordes ex corpore proscribendas multum confert; succum nutritium partium poris intime insinuat, & eo plura solida recipere potest, quo levior deprehenditur. Aquæ purissimæ sive frigidæ sive calidæ potæ, digestionem transacta, mane surgentibus vel vespere cubitum euntibus ad modum conducunt; etenim cruditates a digestionem in ventriculo & intestinis relictas corrigunt, tunicæ villosæ oscula abstergunt, aperiunt, biliosam pituitam ac salia excrementitia diluunt, sanguinis circum adjuvant & omnes corporis nostri excretiones. Hinc experientia constat, aquæ potatores saniores, edaciores & longæviores esse iis, quibus cerevisia vel vinum in quotidiano usu. Herodotus causam longævitatis Aethiopum in aquæ potu ponere videtur, quam adeo levem bibere dicuntur, ut in ea ligna fundum petant. Si aqua frigida contenti essent sani juvenes, acutis morbis vix unquam corriperebantur. Quoties siccitas in morbis culpæ est proxima, vel bilis, aut acidum abundat, aqua parco haustu sæpe ingesta est optimum medicamentum, & stultum esset talibus ægrotis eam denegare. Hinc aqua a Græcis & Romanis pro panacea habita, conf. Illustr. HOFFMANNI *Diff. de aqua medicina universali*. Ab aqua potulentorum calidorum e. g. theæ & caffèæ optimus pendet effectus. CELSVS

l. 1. c. 5. eam in morbis capitis laudat. AVICENNA *l. 1. S. 2. c. 16.* haustum frigidaë mane sumendaë contra flatulentiam, ob causas jam allatas, commendat. Aqua in inflammationibus, scabie, lepra, arthritide, podagra, epilepsia, viscerum obstructione, sanguinis ebullitione, mensibus obstructis, transpiratione promovenda, in febribus optime se gerit, id quod ex horum morborum indole facili negotio concipi potest.

§. X.

De aquarum noxa.

In morbis chronicis ubi partium solidarum tonus insigniter debilitatur, calor naturalis deest, corpus sero abundat, &c. e. g. in hectica, leucophlegmatia, hydrope, nec non in diarrhoeis, dysenteria aquaë potus non est expetendus.

§. XI.

De aquis mineral. seu thermis & acidulis.

Præter aquas ordinarias, inveniuntur etiam sic dicti fontes salubres, quibus non indigitamus salinas, aquas particulis lapideis, metallicis, aluminosis, vitriolicis imprægnatas, sed aquas minerales, thermas atque acidulas, quæ ratione partium e. g. salino alcalinarum inter se convenire solent, quarum uberior infra subministrabitur tractatio. Interim tamen non omnes fontes salubres aquarum mineralium numero comprehenduntur e. g. das Pfeffer-Bad prope Curiam in Grisonum terra, notabili acido spiritu, & sale carens, aqua tantum calida, levis, atque diuretica est, quam in arthritide, calculo, scorbuto & infarctu viscerum laudant. Hujus generis etiam sunt das Schlangen-Bad, prope Schwalbacum, aquaë S. Joannis prope Luccam, aquaë Pisanæ, Tettutianæ, Nocerianæ, Sienanæ in Italia.

§. XII.

§. XII.

Ab igne subterraneo thermæ calefiunt, sulphure *De origine*
 enim cum aliis rebus mineralibus e. g. Marte, bitumi- *aquarum*
 ne per motum intestinum calorem concipiente, & ca- *mineralium.*
 vernis subterraneis incluso aëre accedente, ignis oritur.
 Hoc videre est in pyritis & marchasitis, ignem in aëre
 humido proferentibus. Cataractis inprimis subterra-
 neis ejusmodi aer inclusus originem debet. Ut autem
 thermæ adeoque etiam ignis subterraneus perdurent,
 ab incredibili pyritarum, lithanthracum &c. copia pen-
 det, quemadmodum ex thermis Carolinis non est ob-
 scurum, ubi jam duo secula & quod excurrit sulphur,
 vitriolum & alumen pararunt; imo eadem Buzzouli in
 Italia prope Vesuvium per multorum seculorum de-
 cursum elaborarunt. Huc accedit, calorem subterra-
 neum in aërem liberum non posse avolare, sed perpe-
 tuo circulari. Illustrationis causa cito montem lithan-
 thracum prope Cygneam in Misnia, qui tempore belli
 triginta annos durantis, imo longe ante illud ignem
 conceperat, & licet hanc ob causam antra ejus obthu-
 rata fuerint, nihilominus tamen periculo nuper facto,
 adhuc dum ardet. In thermis Carolinis adjacentibus
 terris, tractus calefacti, in quibus nix persistere nequit,
 imo ardentes reperiuntur, conf. R. P. BOGISLAVS BAL-
 BINVS S. J. in *historia regni Bohemiæ* c. 32. p. 81. A pyritis
 ac marcasitis calefactis ascendens vapor (Schwaden)
 penetrans atque elasticus in aqua concentratur. In val-
 le Kitzingenfi fons ibi celebris omnem amiserat
 vim salutarem, cum in latomiis vicinis cavernam ape-
 ruissent lapicidæ, ex qua sulphureus proruperat vapor,

ea vero iterum obthurata, amissam recuperavit dignitatem. Sulphureus hic vapor, ad sulphurum naturalium omnium indolem, non est foetidus; sulphur vero ordinarium foetore corrumpitur ab igne, ligno vel carbonibus alto. Alkali fixum aquarum mineralium, volatili terram penetrante, vel cum ea, in aqua jam contenta, connubium ineunte, prodit. Duplex autem in aquis mineralibus sal alcali reperitur, nimirum volatile & fixum, illud in aërem liberum abire solet, hoc ignis vim ferre potest. Si spiritus acidus in aquis mineralibus etiam contentus ochram martialem aquæ ex luto mixtam attingit, vitriolum levius cohærens ortum sumit, spiritu enim valde volatili & pauca martis quantitate præsentem, ab aëre & calore vitriolum illud facile iterum resolvitur.

§. XIII.

*De partibus
aquarum
miner. con-
stitutivis &
quidem pri-
mo de spiri-
tu acido.* In aquis mineralibus neque vitriolum fixum neque sulphur detegitur. Thermæ tamen Aquisgranenses sulphur & fons Wisbadensis sal commune ut heterogeneum quid foveant; nam si illarum residuum prunis injicitur, odorem spargit sulphureum, & flamma prorumpit, atque cum sale tartari mixtum hepar sulphuris efficit. Continent autem aquæ minerales primo spiritum acidum volatilem valde subtilem, nam multas bullulas emittunt. Lagenæ his aquis paulo ultra dimidium repleta, digito obthurata & concussa, post digiti ablationem vaporem emittit. Vitra obthurata aqua imprimis Egrana repleta, ignis calori exposita dirumpuntur. Spiritum hunc etiam odor prodit atque
sapor

sapor penetrantis substantiæ subacidæ, caput gravantis. Idem elucet, vino acido ejusmodi aquis admixto, acidum enim vini sali alcali adhæret & spiritus volatilis liberatus multas bullulas protrudendo abit. Hic spiritus aquarum mineralium tam acidularum quam thermarum optimum est ingrediens, quod TABERNÆMONTANVS in seinem Wasser Schatz p. 18. jam agnovit, quia corpus nostrum calefacit, & excretiones promonet omnes. Aquæ hæ libero aëri expositæ levitatem suam ad duos cylindri statici gradus amittunt, cum gallarum pulvere non nigrescunt, cum spiritu vitrioli non effervescent, a syrupo violarum viridem haud induunt colorem, fragrantia, pelluciditas & penetrans pereunt sapor, excretu tunc æquæ sunt difficiles, hypochondria inflantes, in earum superficie cuticula denique apparet versicolor, nec non martiale & calcareum sedimentum fundum petit. Quæ omnia in aquis mineralibus adhuc integris aliter se habent. Quoniam calore spiritus hic facile amittitur, ab his aquis transportandis aër, imprimis calidus, arcendus est, & illarum vectio optime noctu peragitur. Eandem ob causam primo mane hæ aquæ, & quidem apud ipsum fontem cum majori emolumento bibuntur. Hæc enarrata experimenta cum aquis Pyrmontanis, Egranis, Wildungensibus, Schwalbacensibus, fontibus Elster & Buchsauerling dictis, instituta fuerunt. Spiritus hic putredinem ab aquis mineralibus arcet, quando vero ex parte avolavit & ex parte cum sale alcalino, repudiato Marte, arctius connubium iniit, aqua saporem acidum amittit, amaricans evadit & multum salis medii in fun-

do reperitur; inde tamen, ejusmodi aquas esse corruptas, nondum fuit, sed fortiozem effectum exhibent laxantem. Propter spiritum hunc acidum portio superior in vitris aliisque vasis inferiori præstat; eo semel amisso, aquæ hæc nil nisi fontanæ simplicis cum alcali imbutæ effectum præstant. Ab eo pendet, ut aquæ minerales arte parari non possint. DV CLOS super aquis Galliæ p. 93. se destillatione aquarum Mionensium in provincia Alvernia nonnullas accepisse guttulas, affirmat, quæ aquæ a Torna solis cæruleæ, rubrum colorem induxissent.

§. XIV.

De sale fontium alcalino.

Thermæ & acidulæ etiam sal alcalinum in sinu fervent, quod aquæ evaporatione accipere licet, attamen in æquali quantitate sale hoc non gaudent; ut vero eo magis ejus eluceat proportio, sedimentum aqua iterum dilutum colandum & reiterata evaporatione est tractandum. Aquarum Pyrmontanarum uncia octo pulveris grisei cum acidis effervescentis & cum spiritu vitrioli Tartarum vitriolatum constituentis dant grana octo. Aqua Selterna prope Friedbergam cum spiritibus acidis effervescit, syrupo violarum viridem dat colorem, & ex hujus aquæ unciis octo puri albi salis alcali grana viginti quatuor parantur. Hoc sal alcali etiam reperitur in fontibus Schwalbacensi, Späensi, Wildungensi, Gebersweilensi & Gribsbachensi in Alsatia, Landsteinensi in Palatinatu, dem Prudel-Brunnen, prope Andernacum, dem Bildbad, dem Heberlinger, prope Geislingam, Gœppingensi & Treinachensi prope Calvam in ducatu Würtembergensi, dem Elster-Säuerling,

ling, prope Adorfium in Voigtlandia, dem Buch-Säuerling, in vicinia thermarum Carolinarum, qui addita una vel altera spiritus vitrioli guttula sapore ac virtute aquis carolinis æqualis reddi potest. In Suecorum Westmanlandia etiam acidulæ sale medio imbutæ sunt, quod neque cum acidis neque cum alcalinis effervet, sed arcani duplicati vel salis Glauberi indolem refert, aquæ Egranæ cum primis der Schleidische Brunn, & plus quam centum fontes in regione circumjacente ejusmodi sale scatent, quod ibi in magna copia evaporando paratur. Prope Lutetias Parisiorum & in Anglia Ebshamiæ fontes hoc sale imprægnati reperiuntur. Hujus salis semiuncia in aqua soluta excretionem alvina & urinam promovet.

§. XV.

Vitriolum volatile etiam in aquarum mineralium fontibus continetur; gallis, foliis quercus, floribus vel corticibus granatorum, extracto theæ, veronicæ, tormentillæ injectis, aquæ hæ rubescunt vel nigrescunt. Hoc vitriolum evaporatione ob naturam volatilem obtineri nequit & martialis indolis est; quia post evaporationem luteum pulverem sedimenti loco reddit, qui sæpius reiterata calcinatione eo redigi potest, ut eum attrahat magnes. *De vitrioli fontium volatili.*

§. XVI.

In aquis mineralibus etiam terra calcarea reperitur, ex qua oriuntur lapides vario colore a sulphure metallico tincti; id quod theoriam de lapidum ortu illustrare potest. Quod vero calcarea indole sit prædita, non solum ex ejus cum spiritibus acidis insigni effervescen- *De font. miner. terra.*

vescentia est clarum, sed etiam ex eo, quod ustione in optimam calcem mutetur. In illis quoque terra molli generatur, qua pulveris dentifricii instar uti solent. Terrestres aquarum mineralium particulæ humorum nostrorum acrimoniam præcipitant; quo minus autem in corpore subsistendo infarctus viscerum producant, fortis ac vegetus sanguinis impedit circulus, a partibus spirituosus incitatus; hinc in brutis, quæ quotidie de his aquis in illis locis bibunt, nunquam materia tophacea reperitur.

§. XVII.

*de aquarum
mineralium
effectu.*

Humorum acrimonia & spissitudo ab aqua fontium mineralium corrigitur atque diluitur, & excretiones promoventur. Spiritus volatilis elasticus circulum sanguinis auget, qui est sanitatis fundamentum; ita ut humor iste vitalis vasa minora libere tranare possit. Hinc sub aquarum usu pulsus fit celerior, corpus incalescit, transpiratio & reliquæ excretiones optime succedunt. Acidum primarum viarum superfluum sal alcali emendat, cum illo in medium abit & excretiones promouet alvinas, visciditates resolvit, sanguinem attenuat, vermes expellit, id quod etiam sal medium præstat. Vitriolum Martis subtile vim tonicam partibus largitur, quod apprime intestinis conducit. Principium terreum etiam in tonum agit, & uti dictum, acrimoniam corrigit. Calor humores nostros fluxiles reddit. Cuius roborat usus externus. Corporis motus & mentis delectatio etiam in aquarum mineralium usu symbolum suum conferre solent.

§. XVIII.

§. XVIII.

In morbis chronicis aquæ minerales optime sege-
runt, ubi tonus roborandus, vasa referanda, fluida di-
luenda atque alteranda, & omnium excretionum pro-
motive superflua evacuanda sunt. Primas vias pur-
gant, cephalalgiam, in primis ob nervorum consensum
a ventriculi vitio originem ducentem, auferunt. Re-
medium sunt contra alvum segnem, malum hypo-
chondriacum, hystericum, icterum flavum & nigrum,
mensium atque hæmorrhoidum obstructionem, visce-
rum infarctum, colicam sanguineam, vertiginem, me-
lancholiam, cordis palpitationem, hæmoptysin, calcu-
lum, sterilitatem, cachexiam, arthritidem, membro-
rum paralyfin, ulcera externa &c. Partibus sensibili-
bus thermæ ob calorem magis quam acidulæ condu-
cunt; spasmos enim excitat frigus. Calidioris autem
temperamenti subiectis magis acidulæ conveniunt, nec
non hæmorrhagiariis & infarctu pulmonum vel hepa-
tis laborantibus. Licitum etiam est, acidulas tepidas
bibere, urceus scilicet iis repletus, acu prius trajecto
operculo, aquæ ferventi immittitur, ex quibus reliquis
palnam præripiunt Pyrmontanæ, Egranæ & Schwal-
bacenses. Præparationis causa primæ viæ leni laxan-
te v. g. salibus digestivis, Manna, Rhabarbaro, Senna
vel pilulis balsamicis purgandæ sunt. Plethora si gra-
vat; venæsectione tollitur. Transpirationi mentis
tranquillitate, moderato & placido corporis motu at-
que diæta conveniente inserviendum. Mane bibendi
fit initium, & quadrante horæ quatuor vel quinque
urceoli exhauriuntur, quorum septem capit mensura
C una.

una. Eundo, vel stando, vel a lecto affixis cubando bibitur, & quidem ratione quantitatis gradatim ascendendo e. g. primo die quinque urceoli sufficiunt, & denique ad triginta & quod excurrit paulatim numerus extenditur. Utrum ad maximum doses quis per-
tigerit gradum, ex legitima excretionum successione est dijudicandum v. c. sex vel octo sedes ante meridiem sufficiunt, vel etiam pauciores, ubi scilicet aliæ excre-
tiones largiter contingunt. Lotii excretio etiam horis pomeridianis perdurat, & quidem primum redditur aquosum, dein, mutato colore atque odore, cum spi-
ritu vitrioli effervesceat; ex quo, salia ultimo ex sangui-
ne nostro excerni, conjecturam facere licet. Confue-
to more, septem dies bibendo & dein biduum vel tri-
duum lavando consumere, & hanc rationem bis vel ter
repetere solent. Nec incongruum est, viis semel aper-
tis, ordine haud interrupto, aquæ potationem ad sco-
pum propositum perducere; nisi id impediat tumor.
Ante lavationem laxante congruo aquæ evacuantur.
Sub ipso lotionis actu mane & hora quinta pomeridia-
na, post concoctionem instituendo, somnus evitetur &
aquæ non nimis sint calidæ; post eum, horæ spatio
absolutum, a corpore refrigeratio arceatur omnis, &
calidis linteis detersum lecto condatur, ad transpiratio-
nem promovendam. Qui spasmiss, malo hypochon-
driaco, hysterico, colica, arthritide, podagra vel con-
vulsionibus laborant, vel in quibus aquæ potæ ab ini-
tio non bene excernuntur, lavando prorsus abstinere
debent. Corpora spongiosa, macilentis, feminæ viris
lotionem melius ferre possunt. Sub thermarum usu
cibi

cibi sint expepti & potus diureticus e. g. cerevisia bene defecata. Acriores purgationes, quas in fine curationis admittere solent, nocivæ sunt, tunicis intestinorum extensis, & mucilagine privatis; pilulæ autem balsamicæ operæ pretium faciunt. Præparatio supra allata etiam de acidularum usu est sumenda. Gradatim a vitris octo ad duo de viginti ascenditur. Corpus placide tantum movendum est, quoniam magis excretio alvina intenditur, quam peripherica. Intra novem dies bis lotionem, sub circumstantiis supra dictis, utuntur, balneum autem ex aqua simplice calefacta, adfusionem acidularum temperata, paratur. Potus theæ & caffèæ sub acidularum usu licitus est; quo, post excretionem alvinas etiam diuresis atque transpiratio promoveantur. Tota curatio duodecim, sedecim vel viginti duos durat dies, quibus nonnulli quietis vel lotionis ergo intercalantur. Durante curatione sub vel post prandium vinum generosum, vel essentia stomachica ex Ess. Aurant. cum tinct. tart. extracta, ess. Card Ben. Cascar. Cent. min. Absinth. Gent. rubr. sumatur; hæc enim amara bilis defectum compensant; aloë enim autem non commendamus, quoniam sanguinis orgasmum proritat.

§. XIX:

Si aquæ potæ secretio non ex sententia succedit; *Cautela sub illa salis Egrani, Sedlicensis, mirabilis Glauberi usu ad aquar. min. juvari potest. Quando aquæ ab initio, quod hypo- usu obser- chondriacis atque hystericis accidere solet, emesi iterum respuuntur; nihilominus potando continuandum est, quoniam emeses denique cessant.* Torminibus at-

que flatulentia in abdomine orientibus, clysteres paregorici ex decocto avenaceo, Flor. Chamon. paucosale & oleo optime se gerunt. Morbo recrudescente, Nihilominus curationem continuare licet; nisi febris accedat, vel partis affectæ inflammatio, aut hæmorrhagiæ e.g. menses, hæmorrhoides, quibus ingruentibus unum alterumve diem potando abstinendum. Nec pedum tumor oedematosus aquarum potum impedire potest. Ad insueti saporis correctionem loco corticum citri vel aurantiorum, digestionem noxam inferentium, Essentiam aurantiorum vel saccharum oleo di cedro imprægnatum in usum vocare præstat. Usus herbæ Nicotianæ moderatus adæuetis sub aquarum potu non nocet. De acidularum usu notamus, quod capitis debilitate laborantes volatilem spiritum minus ferre possint; hinc e re illorum est, si non apud ipsum fontem, sed in conclavi & quidem aquam tepidam bibunt. Cardialgia affecti etiam tepidas ore hauriant acidulas, vel spiritu oleoso anisato Sylvii utantur. Absorbentia cum paucis nitri in soda conducunt. Vomitus si oriuntur, lene laxans propinandum. In torminibus abdominis clysteres, Essentia stomachica vel dictus spiritus anisatus operæ pretium faciunt. Prostratus appetitus imminutione dosis aquarum tollitur. Hæmorrhoides cæcæ si apparent, pil. ad mentem Beccheri paratæ, externe unguentum de Linaria vel seq. emplastrum ~~Rz.~~ Empl. de Melilot. de Ran. cum Mercur. aa. unc. sem. Croci, olei Hyoscyam. Camphor. aa. drachm j. dari, vel hirudines applicari possunt. Calculi paroxysmo superveniente; acidulæ tepidæ bibendæ sunt, & liquor

liquor miner. anodynus Hoffmanni conducit, externe clysteres paregorici in usum vocantur & balnea ex aqua communi tepida. Arthritide drama suum ludente, parce & tepide acidulae bibuntur, pulveres temperantes exhibentur, & lecto corpus creditur, omisso balneo externo. Purpura chronica apparente, aquae tepidae potus parce continuatur, combinatis pulveribus bezoardicis; a balneo autem est abstinendum. Sub menses fluxu aquam tepidam bibere, non autem corpus lavare licet. In uteri prolapsu & tumore pedum oedematoso, usus acidularum internus convenit, conjunctis pil. balsamicis. Sanguinis orgasmum pulvis temperans corrigit, & alvus clystere aperitur. Alvi fluxus si tantus est, ut virium prostrationem post se trahat; balsamus vitae Hoffmanni cum duabus partibus liquoris min. anodyn. mixtus ad gutt. quinquaginta vel sexaginta propinatur. A cibis dyspeptis & flatulentis sub aquarum mineralium usu abstinendum est e. g. a fructibus horraeis, herbis crudis, carne fumo indurata, valde pingui, piscibus inprimis marinis, leguminibus, caseo, ovis frixis, lactariis, cibis farinaceis, aromatibus acrioribus, cibis valde acidis, aceto, vinis hornis, mordacibus, spiritu vini. Conducunt vero fructus horraei cocti & vinum Gallicum, Rhenanum, Moselanum veterana. Coena non adeo utilis est quam prandium. Ab aëre frigido corpori est prospiciendum. A prandio somnus bonus non est, eo enim excretiones turbantur & congestio versus caput invitatur, sed primo vespere cubitum ire praestat. Post acidularum usum bonae diætæ nonnullas hebdomades est studendum.

§ XX.

*de aquar.
miner. no.
xa.*

In calculo quocum exulceratio viarum urinarum conjuncta, nec non in morbis a lymphâ acri originem ducentibus thermæ atque acidulæ justo aciores sunt, & usus aquarum leviorum e. g. Wildungensium, Toennigsteinensium, Curiensium hic præferendus. Nec in visceribus admodum scirrhis, ulceratis, hydrope, hæctica, gonorrhœa maligna, luce venerea, epilepsia, cephalæa, asthmate convulsivo, phthisi, poly-po cordis aquarum mineralium usus ex ægrotantium re est; quoniam rebus sic se habentibus, partim libera sanguinis circulatio non est speranda, partim miasma malignum aquarum usu in sanguinis massam invehitur.

§ XXI.

*def. & par-
tes vini con-
stitutivæ.*

De aquis mineralis satis dictum esto, ergo ad vini pertractationem accingimur. Succus ex uvis maturis expressus & fermentatus est vinum. Continet autem partes salino-oleoso-spirituoso-terreo-aquosas, quæ ratione quantitatis & qualitatis in diversis vinis aliter se habere possunt v. c. sal, oleum, spiritus in una vini specie subtiliora sunt quam in altera. Ex definitione apparet vinum non esse productum naturæ sed chemiæ. Quod vero vina ratione quantitatis partium constitutivarum variare possint, ex sequenti tabula elucet.

Ex libris tribus

	Spir. vin. rectific.	subst. resinof.	oleof.	subst. tart. & gummof.	aquæ
	semunc. drach.	semunc.	drachm.	semunc. drachm.	libr. semu. dr.
Vini Alonenfis	6.	12.	$\frac{1}{3}$	$1\frac{2}{3}$	2. 5. 2.
Burgundiaci	4.	2. I.	$\frac{1}{3}$	$1\frac{2}{3}$	2. 18. $\frac{1}{3}$
					Carca-

	spir. vin. rectific. semunc. drach.		subst. resinof. oleof. semunc. drachm		subst. tart. & gummos semunc. drachm.		aquæ libr. semu. dr.		
Carcafonensis	5.	2.	1	$\frac{1}{6}$	--	$1\frac{1}{3}$	2.	17.	$\frac{1}{3}$
Campaniensis	5.	$1\frac{1}{3}$	1.	$2\frac{2}{3}$	--	1.	2.	16.	3.
d'Eremitage	5.	3.	2.	2.	--	$1\frac{2}{3}$	2.	15.	$\frac{1}{3}$
Gall. ordinarii	6.	--	1.	$2\frac{2}{3}$	--	1.	2.	16.	$\frac{1}{3}$
Frontignac	6.	--	7.	--	1.	$1\frac{1}{3}$	2.	9.	$9\frac{1}{2}$
Grave	4.	--	1.	2.	--	2.	2.	18.	--
Madera sec	4.	3.	6.	2.	4.	--	2.	8.	3.
Malvaticum	8.	--	8.	3.	4.	3.	2.	2.	2.
mont. Pulciani	5.	2.	1.	3.	--	$2\frac{2}{3}$	2.	16.	$\frac{1}{3}$
Moselani	4.	2.	1.	$\frac{1}{3}$	--	$1\frac{1}{2}$	2.	18.	$\frac{1}{2}$
Neocomensis	6.	2.	8.	--	3.	3.	2.	5.	3.
Palm-Sec	4.	3.	5.	--	9.	--	2.	5.	1.
Pountac	4.	--	1.	$1\frac{1}{3}$	--	2.	2.	18.	$\frac{2}{3}$
Rhenan. vet.	4.	--	2.	--	--	$2\frac{1}{3}$	2.	17.	$1\frac{2}{3}$
Salamantienf.	6.	--	7.	--	4.	--	2.	7.	--
Hispan. ordin.	2.	2.	5.	--	19.	--	1.	21.	2.
atri (Tinto)	6.	--	13.	--	3.	2.	2.	1.	2.
Tokæense	4.	2.	8.	3.	10.	--	2.	--	3.
rubr. Tyrol.	3.	--	2.	2.	1.	--	2.	17.	2.

Sufficiat hæc de partibus constitutivis quarundum usitatorum vini specierum in medium attulisse.

§. XXII.

Bonæ notæ vinum est bene fermentatum, vetus, *Bonæ notæ*
 purum, neque spissum neque aquosum sed mediæ con-
 sistentiæ, sapore gratum, odore fragans, bullulas brevi
 evanescentes sub infusione emittens, decenter spiri-
 tuosum, diureticum, diaphoreticum, stomachicum,
 neque crapulam vel membrorum lassitudinem, neque
 poda.

podagram vel calculum in scenam producens. Veteres ejusmodi vinum sine dentibus vel COS, id est quod colore, odore atque sapore legitimo imbutum esset, nominarunt. Ejusmodi virtutes vetus rhenanum, aliaque, de quibus mentio suo loco fiet, exerere solent.

§. XXIII.

*de vinis vili-
bus &
adulteratis.*

Vina præter justum una alterave parte constitutiva abundantia v. c. valde acida, adstringentia, tartarea, male fermentata, excretionibus turbantia, ventrem inflantia, hœna non admodum sanitati conducunt, sed caput gravant, in ventriculo stagnant, acescunt, calculo arthritidi, si tartaro abundant, ansam præbent, aliaque nociva dramata ludunt. Quænam talia sint partim notabo, partim ex ipso usu vini potatores addiscent. Oenopolarum turpis lucri cupidi vinum lithargyrio, Marcassitis, Mercurio sublimato, arsenico adulterare consueverunt. Conf. *Ephemerid. nat. curios. obs. 31. anni 4. decur. 3. & observ. 134. anni 7. dec. 3.* quibus paralysis membrorum, colicæ spasmodicæ lethales, hæctica & mors in scenam producuntur. Si purum auripigmenti extractum & aqua calcis vivæ vino saturninis adulterato infunditur, colorem mutat, & fuscum, subrubrum, vel nigricantem induit. Vinum arsenico corruptum solutione Saturni in aqua forti, & Mercurio corrosivo venenatum spiritu salis Ammoniaci aquoso vel liquore salis tartari, imo quovis alcali detegi potest.

§. XXIV.

de variis vini generibus.

Ex vinis spirituosissimis Hungaricum omnibus palmam præripit, iisque commendandum, quibus cibi in ventriculo debili facile acescunt & qui morbis chronicis labo-

laborant, quia analepticum & diaphoreticum est, conf. HOFFMANNI *diff. de vini Hungarici eccellente natura, virtute & usu*. Vina Germanica acida & conservatu facilia sunt e. g. vinum Rhenanum temperatum, diureticum atque diaphoreticum est, pro optimo illud mediæ ætatis habetur, nimis veteranum justo fortius & ingratum; conf. ejusd. *diff. de natura & præstantia vini Rhenani in medicina*. Moselanum debilius est Rhenano, attamen in salutaribus habetur. Vina rubra, fermentationem super uvis subeuntia, multo tartaro & quidem impuro referta, fulva santalo rubro, myrtillis &c. tineta sunt & vim plerumque adstringentem exe-runt. Vina valde dulcia & saturata e. g. Malvaticum, Sec, Hispanicum, partim Hungaricum plerumque mixta sunt ex musto fermentato & cocto, quæ quidem aliqualem sed non plenariam fermentationem admiserunt. Sanitati quidem non adeo obsunt quam sola cocta, interim tamen usui quotidiano non sunt apta, quoniam sanguinis ebullitionem, quid quod fermentationem efficere queunt. In vinis valde dulcibus etiam sæpe anguis sub herba latet, lithargyrium vel arsenicum puta. Vini ex uvis passis parati quod vulgo sec dicitur, tres venduntur species, Palmense, quod reliquis palmam præripit, Maderense, Xeresense, vulgo Sirefer-Sec, quod vilius habetur, & prope Xeram ex uvis passis paratur. Vinum Malvaticum coctione partim in Græcia partim in Hispania faciunt. Quemadmodum in genere sapa edulcorandi vina e. g. Alonense (d'Alicante) mos est. Vino Tinto & Port a Port (Portuscalense) ex Portugallia advehitur. Gallica vina e. g. Bur-

gundiacum, Campaniense fortia, Ω sa, Languedocense & Provinciale dulcia sunt. Italorum vina quæ præ reliquis ejus terræ indigenis famam acquisiverunt, sunt vino Græco, Mangiaguerra, Verracia, vino vergine, Chiarello, lacrymæ Christi, vino di Firenze, vino de monte Pulciano, vino cotto, quod est mustum paululum evaporatum; alias enim propter aquæ abundantiam vappescit. Sed ejusmodi vina dulcia nec non mustum salubria non sunt; quia particulas terrestres & salinas fermentatione non deposuerunt. Essentia vini (gefroener Wein) sanguinem commovet & nonnisi in parca dosi pro potu rariori adhiberi potest. Turcarum sapa mustum ad tertiam usque partem evaporatum est. Vina medicata composita ex vino & variis vegetabilibus e. g. cerasis, helenio &c. fermentatione parantur. Cold-Thankers, Punch, Bishops mixtione producta sunt. Vinum lymphatum, aquatum more Græcorum aqua dilutum est, quod sanitati magis prodest quam purum. Interdum vinum cum acidulis e. g. Moselanum cum Späensibus maritatur. Vinum secundarium vel acinaceum ex aqua & vinaceis ortum est.

§. XXV.

de locis variatione dictorum vini generum celeberrimis.

In Gallia in optimis habentur: vin de Champagne, de Bourgogne, de Beaune, de St. Laurent, de Cahors, d'Ermitage, de Grave, d'Hay, de Languedoc, de Jacinte, de Couffy, de Volnec, de Carcassone, de nuit, de teinte, d'Orleans, Cote rotie, Frotignac, Muscat de Lion, Hautprignac, Lenaut d'une, Pountac. Inter vina Rhenana famam acquisiverunt Hochheimense, Kostheimen-

heimense, Ringauense, Bacheracense, Rüdelsheimense, Montis Joannis, Erbacense, Hattenheimense, & quæ Marckbrunnæ, Rauenthalii & Neuendorffii crescunt. Inter Mosellana Dusemundense, Welenense, Zeltingense. In Palatinatu Wormatiense, Forstense, Ambachense, Edinghofense & quod dicitur lieben Frauen-Milch. In Alsatia quæ Reichesfeldii, Lippelsbergiæ, Bliensweileræ, Rupperti villæ, Reichensweileræ, Thaunii, Steringæ, Ammersweileræ, Dambaci & in Brisgavia coluntur. In strata montana Auerbacense, Bensheimense bonæ notæ sunt. Ex Franconicis Wurceburgense, Randsackeranum, Franckenhufanum, Iphofense, Volcacense, Roedelseense, Wertheimense, Klingenbergenense reliquis palmam præripiunt. Inter Neckerana Heidelbergense, Würtenbergenense, Stutgardienense laudant. Inter Austriaca Neuburgense, & Brofenbergenense laudem merentur. Ex Tyrolensibus Athesiense & Traminense gulæ placent, sed non sunt durabilia. Inter Hungarica Tokæense, & quæ S. Georgii Ausbruch & Ruster-Weine dicuntur, nec non quæ in Hungaria superiori ex baccis siccis parantur. In Helvetia Neocomense, Telingenense (Besteliner) & quæ Lacote ac Stroh-Wein nominantur, citari merentur.

§. XXVI.

Vinum bonum roborando concoctionem crudo-*de vini usu.*rum alimentorum & perspirationem juvat; idcirco assumtis fructibus horræis, variis piscium generibus, oleraceis atque infantibus non inconvenienter superbibitur. Saluberrimum vero judicatur quod nec nimis spirituosum nec acidum sed temperatum est e. g.

Rhenanum. Vinum acido-spirituosum v. c. Burgundiacum motus resuscitat vitales; hinc sanguinis circumlum & calorem auget: ejus usus iis proficuus est, qui virium resuscitatione opus habent, naturæ debilioris, frigidaë & humidæ sunt, vitæque sedentariæ indulgent. Lac senum ejusmodi vinum merito nominatur. Vinum quod particulis resinosis, gummatosis & salinis subtilioribus bene gaudet, nutrit. In dysenteria vini generosi etiam non contemnendus est usus. Nec vinum in chirurgia usu caret, quem vero nunc explicandi non est locus.

§. XXVII.

*de vini ab-
usu.*

Usus vini præsertim immoderatio minus convenit iis, qui multum caloris foveant, e. g. plethoricis, cholericis & tempore æstivo corpus motu exercentibus, qui lymphaticis humoribus abundant v. c. infantibus ac juvenibus: hi si potu aquæ contenti essent, morbis acutis uti jam monuimus, vix unquam corriperentur. Ebrietatem autem somnolentia, ingenii stupiditas, febres, affectus catarrhales, capitis dolores, apoplexia, epilepsia, nervorum debilitas, morbi nephritici, arthritici, podagrici sequuntur. Vinum plus justo acidum solida nimium adstringit, fluida incrassat; spirituosum solida nimium roborat, fluida commovet & resolvit. Vina non bene fermentata particulas orgasticas & terrestres in corpus inducunt. Sub finem, magis medicamenti quam potus ordinarii loco vino esse utendum, monemus.

§. XXVIII.

*de vino Cy-
der.*

Dantur etiam vina ex succis fructuum liquidis vel inspissatis iterumque aqua dilutis fermentatione parata,

ta, quæ Cyder nominare solent. Ex fructuum bonitate & fermentatione bene vel insufficienter peracta indoles eorum dijudicanda.

§. XXIX.

Spiritus vini ex quocunque subiecto idoneo extra-^{de spiritu vini.}ctus consistit quoad maximam partem ex aqua fermentatione rarefacta, pauco sale acido, cum subtili oleo essentiali combinata, quod quinquagesimam circiter constituit partem. Quod spiritus vini in chemia menstruum propemodum universale sit, alte deducere propositus scopus non exigit. De usu diætetico potius agendum, vi cuius monemus, moderatum spiritus vini usum, præcipue si cum saccharo in aqua soluto dilutus fuerit, in defectu vini ad calorem resuscitandum in corporibus humidioribus admitti posse. Abusus vero sanguinem incrassat & corpus ad febrem quartanam, lentam & hæticam disponit.

§. XXX.

Acetum secunda fermentatione paratur & ex sale^{de aceto.} acido in aqua soluto, tartaro & spiritu vini subtilissime inter se combinatis consistit. Spiritus vini ex destillatione terræ foliatæ tartari, virid. aeris & sacchar. saturni apparet. Aqua ex fluiditate & destillatione elucet. Principium trartareo-oleosum ex residuo demonstrari potest. Additione seminum oleosorum in fermentatione melius acetum & quidem sine coctione, qua particulae subtiliores in aërem abiguntur, paratur. Ferro candente ejus vappescencia impeditur; sic enim alcali ab acido liberatur. Ad varios usus in Chemia & Pharmacia adhibetur. In morbis acutis temperando

prodest. In regionibus calidis aqua dilutum ad temperandum sanguinis calorem nimium & sitim infringendam pro potu sumere solent.

§. XXXI.

*Cerevisiæ
definitio &
partes con-
stitut.*

Decoctum hordei vel polentæ lupulatum seu cerevisia ex partibus oleoso-resinosis, mucilaginosi, salinis, aquosis & terrestribus consistit, quibus, additis fecibus, quæ cerevisiæ pars non sunt, spirituosa accedit. Duplici in cerevisia coquenda opus est fermentatione, prima in præparatione hordei ad polentam, secunda spirituosa ope fecum contingit. Zythus (Brühan, Weißbier) quoad maximam partem aquam, parum spiritus inflammabilis, partes resinosas, mucilaginosas continet. DIODORVS SICVLVS *cap. XX.* Osiridem Agyptiorum Regem cerevisiæ coctionem invenisse memoriæ prodidit. PLINIVS *hist. natur. l. XXII.* ejus mentionem fecit, & TACITVS *de moribus Germanorum c. XXIII.*

§. XXXII.

*Cautela in
cerevisiæ co-
ctione obser-
vanda.*

Situs locorum, aër & aqua ad cerevisiæ indolem multum confert. Vere, aëre temperato, optimæ atque durabiles cerevisiæ coquuntur. Aër justo calidior fermentationem iterum proritando, cerevisiam facile eo, ut ace scat vel vappescat, perducit. Frumentum recens, haud difficulter progerminans, ad cerevisiam coquendam magis aptum est vetere. Cerevisiæ condimentum lupulus habendus, qui flatulentiam & nauseosam hordei dulcedinem corrigens, eam conservat & spirituosiores reddit. Lupulus si non diu coquitur narcosin, diu coctus, amarorem cerevisiæ conciliat. Usu compertum est, ex aquis puris non tam bonam cere-

cerevisiam quam ex lacuum & fluminum impuris coqui; modo ne hauriatur, ubi cadavera in vicinia putrescunt, cautio sit. Quales cerevisiæ addantur feces multum refert, bonæ malam cerevisiam meliorem, pravæ bonam deteriorem reddere possunt e. g. feces vini. Sec huic usui bene inserviunt. Feces recentes in quantitate sufficiente cum cerevisia neque nimis calida neque frigida misceantur.

§. XXXIII.

Cerevisia quæ specifica levitate gaudet, nec adeo *de cerevisia bona.* crassa, aut lupulo aut alimentosa substantia saturata, quæ spumescit, grati saporis est & facile ventriculum omniaque emunctoria transit, cito per urinam redditur, caput non gravat, in ventriculo non acescit, hypochondria non inflat, optima est; id quod ab ingredientium indole, quantitate, debita coctione & fermentatione multum pendet. Schola Salernitana inquit: Non acidum sapiat cerevisia, sit beneclara, & granis sit cocta bonis, fatis ac veterata. Quænam cerevisia sibi bibenti profuerit, quilibet cerevisiæ potator attendat.

§. XXXIV.

Omnis cerevisia crassa, turbida, feculenta, minus *de cerevisia mala.* fermentata, acida, insufficiens cocta insalubris est, caput gravat, flatuum est procreatrix, obstructions, stranguriam, asthma & colicam generat. Cnisenacum, cerevisia Stolpensis, Brunsvicensis nimis saturata, quæ Mumme dicitur, sanitati minus profunt. Cerevisiæ albæ non tam saturatæ, claræ, magis durabiles sunt quam fuscæ. Pix & fuligo cerevisiam principio empyreumatico, ad diætam quotidianam haud conveniente, im-

præ-

prægnant. Cerevisia melle vel saccharo imbuta flatulenta est. Nonnullorum cerevisiæ coctorum artificia cerevisiam sitim proritantem vel caput gravantem præparandi noxia sunt e. g. si eam sale, semine cocculi, taurorum bile, Polio montano, Coriandro, Cisto Ledon. fol. rorism. Ledo Silesiaco, Myrto Brabantica, Origano seu Majorana Sylvestri, furum suspensorum partibus depravant. Ebrietas a cerevisia contracta diu durat; quoniam partes spirituosæ a viscido involvuntur.

§. XXXV.

*De diversis
cerevisia-
rum gene-
ribus.*

In ordinariam fusco colore præditam (braun Bier) & Zythum (weiß Bier) cerevisia dividi solet, & utriusque iterum diversæ dantur species, quarum nonnullas in medium afferre libet. Anglorum Ale est cerevisia dulcis sine lupulo; mail beere vero amara; Smale ale est Zythus ex avena paratus. Porro famam acquisiverunt cerevisia Martisburgensium, Eulenburgensium, Naumburgensium, Servestensium, Halberstadiensium Brehnan, Goslariensium Gose, quæ alvum laxat, Frisonum brauner Bernd, Helmstadiensium Clapit, Schoeningensium Wittenfiel, Razeburgensium Kummelweiß, Monasteriensium Käute, Kiloniensium Witte, Riddagshausensium Schüdde Kappe, Eckvoerdensium caca bülle, Luteraregiensium Duffstein, Magdeburgensium Fils, Erfurtenium Stadt-Bier, Herfortensium Kamme, Eislebiensium Krabel an der Wand, Jenensium Dorff-Teuffel, Gardelingsium Garley, Stadiensium Kater, Noviomagensium Moll, Wettinensium Käuterling, Hallensium Manheimer & Puff, Delitschensium Ruch-Schwanz, Uratislaviensium Schöps, Gustavoviensium Knie-

Aniesenack, Wittebergensium Ruckuck, Boizenburgensium biet den Kerl, Hadelensium Stell den Kerl, Osna-brugensium Buse, Kyritzensium Mord und Todschlag, Lipsiensium rastrum & ejusmodi cerevisiæ plures, quas omnes enumerare, longum foret.

§. XXXVI.

Cerevisia aromatizata dicitur, quacum aromaticæ *De cerevisia* vel balsamicæ herbæ vel fructus fermentarunt e. g. *aromatiza-* caryophylli aromatici, nux moschata, cortices citri, *ta.* Galanga, Zedoaria, Helenium, Gentiana, Baccæ Lauri, Juniperi, Herba Melissæ, Salviæ, Scolopendrium; quæ ex ingredientium natura sunt dijudicandæ.

§. XXXVII.

Si potus requiritur eo scopo, ut calefaciat, in mo- *Usus cere-* tus stimulet, attenuet, sitim levet, nutriat; tunc cerevi- *visiæ.* siæ bene coctæ, fermentatæ, defecatæ profunt. In hy-drope & leucophlegmatia cerevisia meracissima vino præstat e. g. Anglorum ale ejusque similes. Ingre-diens autem crevisiæ, quod sitim explet, aqua est. Ce-revisia inebriari noxium esse, jam supra monuimus.

§. XXXVIII.

Potulentis arte factis etiam aqua mulsa, hydro- *De mulso.* mel vel mulsum annumerandum est, quod ex aqua & melle coctione, despumatione & fermentatione præparatur, addito lupulo, & interdum Salvia, Anetho, Angelica, Iride Florent. Cinnamomo. Denique asser-vatur, prohibito aëris accessu. Reliquis palmam præri-

pit Polonicum, Borussicum, Curlandicum, Lithauiese inprimis Caunense. Simplex datur mulsum & compositum. Hydromel etiam cum cerevisia miscere solent. Temperamento calido præditis mulsum non prodest. Ursa eo inebriati jucunda spectacula edunt. Quod liborum confectores coquunt Bock-Meth, imitatio veri mulsi & Turcarum Tscherbet simile est.

Obs. Acetum mulsum sive oxymeli, oxysaccharum, & Julepus syruporum species recte aestimantur; etenim ex aceto & melle, aceto & saccharo, vel subinde etiam ex aceto, aqua & saccharo, & julepus denique ex aqua quadam destillata odorata v. g. rosarum, violarum &c. componuntur, ac postea evaporatione lenissima aut simplici saltem super leni igne solutione ut julepus, vel blanda coctione ac despumatione ad syrupi consistentiam deducuntur.

§. XXXIX.

De Choccolada.

Cacao, avellana Mexicana est arbor Americana exigua, fructum siliquiformem proferens, quorum unus viginti ad sexaginta & plures nucleos includit, oleum crassum, pingue nec ingratum continentes. Conf. *Pisso de India utriusque re naturali & medica*. Hi nuclei præcipuam constituunt partem celeberrimæ confectionis, ex qua potum parare solent, choccolada vel succolada dictæ. Est Americanorum inventum, a quibus acceptum in Europam detulerunt Hispani, ubi aliquantulum emendatum fuit, præsertim sacchari & aromatum additione.

§. XL.

§. XL.

De bona choccoladam præparandi ratione consu- *De ejus*
latur LEMMERY in diction. simpl. titulo choccolada. Alii *præparatis.*
alio modo præparant, & præsertim in India adhuc suc-^{ne.}
cum Roucou, Urucou, Achiotl & farinam frumenti
Indici Mayz ut & semen Anisi addunt vid. BONTEKÖE
de choccolada. Methodum præparandi idoneam explicare lu-
bet: R. Cacao lbij. Sacchari Canar. lbij. Vanill. caules
numer. iij. Cinnam. drachm. iij. Cardam. drach. j. Ca-
ryophyll. drachm. sem. Cacao primum leni uestione
a cortice purgatur, dein in mortario orichalceo, quod
carbonibus circumdatum fuit, tres horas calide tundi-
tur, saccharo & aromatibus pulverisatis pedetentim at-
que cochleatim admixtis atque intusis, quo facto inte-
gram horam tundendo pergunt, denique massam oleo
amygdalarum dulcium illinunt & in panibus fundunt,
quos denique ratula tritos vino vel lacte, adjecto sac-
charo, coquunt.

§. XLI.

Quod vires & usum hujus confectiois attinet, *De usu &*
valde nutriens & concoctu facilis est; quare præcipue *abusu choco-*
senibus debilitatis, marasmo laborantibus convenit, ve-^{lada.}
rum pro his pauciora aromata addi debent, v. c. Mo-
schus & Ambra sanguinem commovent, ergo omitten-
da. Non solum sicca manditur, verum etiam familia-
rissime decoquitur, ab exteris fere tantum in aqua, a
Germanis plerumque in lacte, additis quoque, ut for-
tius nutriat, vitellis ovorum. Choccoladam vim gene-
randi in maribus æque ac feminis augere, Venerique

stimulos subdere, non pauci autores contendunt, quare sunt, qui hunc in scopum vino Malvatico illam decoquunt. Nimio usu juvenes hominesque succo pleni valde læduntur & in febres sese præcipitare possunt. In morbis acutis & ab humoribus spissis pendentibus chocoladæ usus proficiuus non est.

§. LXII.

*Cassia def.
& partes
constit.*

Cassia, cavea, Coffea, Arabis Bun, pentandriis monogyniis, monopetalis, germine infra florem annumeratur, corolla hypocrateriformi, staminibus supra tubum, baccis dispermatibus. Baccæ ejus crudæ quinque ogdoades terrestrium, quinque tremisses gummoso-mucilaginosarum, tres tremisses resinotarum, notabilem quantitatem aquosarum, perpauca salinarum partium continent. Post earum ustionem res longe aliter se habet; nam multum olei empyreumatici & particularum acido-salinarum exhibent. Per distillationem igne aperto ex cassiæ libra j. destillati phlegmatici uncia sex drachm. sem. olei foetidi crassi uncia sex, drachm. sem., capitis mortui uncia quatuor, drachmæ duæ, salis fixi drachmas duas in se continentis, accipiuntur. Baccarum Cassiæ tostatarum libra una extracti aquosi dat uncias septem, drachm. ij. scrupul. ij. spirituosus drachmas quinque, scrupulum unum. Sub actu extractorio inverso uncias quatuor ac totidem scrupulos extracti spirituosus, & extracti aquosi uncias quatuor. Torrendo baccas quarta circiter pars ponderis perit, dum maxima pars aquæ, parum salis acidi & fragrantis olei empyreumatici in aërem avolat.

Cassia

Caffea tosta, uti in usum adhibemus quoad maximam partem ex particulis terrestribus, gummosis, resinosis & paucis oleosis empyrevmaticis consistit. Decoctum ejus est maxime extractum gummosum, oleo empyrevmatico subtiliori imprægnatum.

§. XLIII.

Patria caffæ stricte sumta est Arabia felix; nam Javanica Indiæ orientalis, & Surinamica Indiæ occidentalis istius sunt propagines. A loco natalitio in tres caffea dividitur species, nimirum in Arabicam (Levantische) quæ minima & fusco-flava, Surinamicam, quæ mediæ magnitudinis, recentissima ac viridescens, & Javanicam, quæ est maxima, flavo-pallida. Arbor caffæ sæpe quadraginta pedes alta est.

De loco, unde aportatur caffea, & ejus speciebus.

§. XLIV.

Caffea bona viridescens, plena, & tosta fragrans est. Neque mucida, seu situ corrupta esse, neque aquæ innatare, sed fundum petere debet.

Signa caffæ bonæ.

§. XLV.

Nonnulli decoctum crudarum baccarum commendant e. g. Doctor Andry Parisiis; sed isti parum vis inest. Alii nimium baccas torrent, sed eo ipso optimum abigunt, & decoctum exinde paratum empyrevma sapit. Imo etiam ii peccant, qui superfluam torrent ac molunt quantitatem, subtilissimum enim avolando perit. Decocto caffæ nonnulli caffeam tostam, alii sacharum, lac &c. ad gratum saporem vel majorem vim altilem conciliandam addunt. Caffée

De ejus præparatione.

à la Sultane, Sultanin-Caffee ex caffèæ glumis paratur. Decocti caffèæ particulas terrestres nonnulli ante ejus usum recte præcipitare solent.

§. XLVI.

*Ce caffèa
adulterata.*

Caffeam homines quidam nequam variis addita-
mentis e. g. fabis, pis, lentibus, oryza, hordeo, secali,
avellanis, tritico turcico Mayz, crusta panis hujusque
generis pluribus adulterare solent.

§. XLVII.

*De caffèa
usu.*

Decocti caffèæ clari non admodum saturati mo-
deratus utilis est usus, concoctioni promovendæ & suo
loco capitis dolori avertendo inservit. Spissum, ni-
mium saturatum, cum pulveris caffèæ masticatione
conjunctum, justo sæpius potatum, & quidem inpri-
mis tempore vespertino, in conclavi frigido, a perso-
nis otio deditis, omnino noxam corpori infert, anxie-
tatem, cordis palpitationem, artuum tremores, spissi-
tudinem sanguinis & orgasmum, viscerum obstructio-
nes producendo.

§. XLVIII.

*Def. theæ &
partes con-
stitutive.*

Ad theæ pertractationem denique devoluimur,
annumeratur autem Thea polyandriis, monogyniis,
stylo elongato, corolla, octo petalis, calice pentaphyl-
lo, capsula tricocca prædita est. Frutex raro sex pe-
dum altitudinem transcendit, & in Japania, China at-
que ut quidam tradiderunt, etiam in regno Siamensi
crescit. Theæ viridis uncia una dat extracti aquosi
primi & sicci unciam sem. scrup. duos, extracti spiri-
tuosi

tuosi secundi scrup. unum, foliorum exsiccatorum drachmas tres: extracti spirituosus primi drachm. tres & sem. extracti aquosi secundi drachmas tres scrup. sem. foliorum exsiccatorum drachm. tres scrup. sem. Ergo thea ex particulis resinosis, gummosis atque terrestribus consistit, quibus accedit parum olei essentialis atque expressi, illud ex theæ odore & aqua abstractitia, hoc ex sapore extracti spirituosus secundi apparet. Adde nonnullas particulas salinas, toti regno vegetabili communes, quæ vero ad oculum demonstrari non possunt. Viridis color ex particulis resinosis derivandus. Theæ, quæ Bohea, dicitur par est ratio, nisi quod propter correctiones in illa adhibitas, plus suppeditet extracti.

§. XLIX.

Variis anni temporibus thea colligitur, nempe *De Theæ* mense Februario, Aprili, initio & fine Maji. Folia *collectione* singula primo mane decerpuntur. Hæc in pulverem *et præparatione.* redigunt Japonenses, & cum infuso simul bibunt. In furnis super laminas ferreas gausapis scirpeis tectas leni calore eadem Chineses torrent. Folia calefacta manibus voluunt, & sub hoc labore flabellis ista refrigerantur. Hæc, theæ foliis nondum satis arefactis, interdum repetuntur. Torrefaciendo autem principium narcoticum a thea abigitur. Thea fusca folio ad nigredinem vergente, Bohea dicta, teste Doctore Cunninghamo a monte provinciæ Fokinensis nomen accepit. Initio Martii collecta in umbra siccatur. Licentiatus Siegesbeckius non esse theam qualem natura exhibeat, inquit, sed arte præparatam. In cacabis ferreis

ferreis dein sub agitatione torrent folia, tinctura quadam & odore rosaceo ante imbuta. Ejus nigredo a ferro, tinctura fusca ab extracto addito & odor a rosis desumuntur.

§. L.

Thea species.

Præter divisionem in theam viridem & theam fuscam, seu boheam, thée bohé, tempus collectionis & foliorum conditio in varias theam distribuunt species, virtute & pretio multum a se invicem differentes. Optima est mense Februario collecta & dicitur thea imperatoria Kayser-Thee, Blumen-Thee, non quia flores theæ esset, sed quia quasi ipse flos id est optima thea. Hæc ad nos non mittitur, quid quid etiam nonnulli homines contendunt, sed in ipsa Japonia centum Imperialibus una libra constat, potius in Japonensium imperatoris & Magnatum usum consumitur. Quam metunt mense Aprili vel Japonenses ipsi retinent, vel nobis pro imperatoria vendunt. Quæ initio Maji colligitur, maxime ad Europæos transmittitur. Collectio ultima fine Maji instituta ignobilis est, quia folia sine discrimine etiam adjectis stipitibus colliguntur; hujus Batavi libram unam paucis grossis vel dimidia salviæ quantitate in China emunt. Japonensium thea colore viridi vivaciori & foliis minoribus prædita est, sed ad nos non mittitur. Chinesium thea lurido colore & foliis majoribus gaudens, illâ, propter præparationem, præstantior esse dicitur, & hujus quasdam species ad Europæos advehunt. Folia in summitate fruticis crescentia speciem nobilissimam

mam constituunt, quam thée-bing, Blumen-Thee, theam imperialem folio amplo, laxo appellant. Folia media dant thée-Hyson, Batavis de alderbeste grœne thée, thea viridis optima folio oblongo. Infima species est thée singlo, ordinaire grœne thée, thea viridis folio minore. Theæ fuscæ seu Boheæ hæ species inveniuntur: thea bohea ordinaria; thée-pecco, gryse thée boey vel thée buu mede vitte punten; thée-congo; thée cambo; & denique thée-chaucon, quæ in optimis habetur.

§. LI.

In virtute & præstantia theæ dijudicanda, non ad nomina, perperam sæpe & falso imposita, sed ad ejus qualitates attendendum est. Thea autem viridis sit bene curvata, colore viridi, foliis integris, siccis, odore foenariorum ad violarum indolem accedente, sapore amaricante & subadstringente non tamen nauseoso, prædita, & viride exhibeat infusum. Bohea fusca sit, foliis integris, ad nigredinem vergentibus, odorem spiret rosaceum, saporem præstet subamaricantem & infusum fuscum saturatum. *De signis bona thea.*

§. LII.

Non solum cerasorum, & ruborum &c. foliis theam adulterare, sed & folia jam extracta iterum immiscere homines nequam solent. Dantur etiam qui theam in foenum condunt, vel radices Ireos Florentinæ immiscent, ad conciliandum odorem. *De theæ adulteratione.*

§. LIII.

*De theæ
usu.*

Theæ ad usum aqua fervens infunditur, & sic potus calidus paratur. Nonnulli saccharum, lac, cinnamomum, sal, ut Tartari &c. addere solent. Aquæ impuræ, falsæ, vitriolacæ, calcareæ, aluminosæ, sapore heterogeneo imbutæ ad hunc usum non sunt aptæ, deficiente autem meliori bis coquendæ sunt. Cel. Bontekoë theæ usum multis parasangis extulit ut & Waldschmidius. Diluit, resolvit, abstergit, diaphoresin, diuresin, excretionem alvinam promovet; habet enim vim penetrantem & aperientem; hinc excretionem omnes augendo non sinit cumulari sordes, emunctoria cum tempore obstruunt, morborumque chronicorum fundamenta jacturas; in soda, calculo, podagra, convulsionibus, & febribus levamen affert, imprimis exanthematibus placide provocandis, in morbis acutis, inservit; modo aromata calida non sint, ut vulgo fieri solet, immixta. De enumeratis virtutibus & alleganda noxa multum aquam calidam sibi vindicare, vel me non monente, est clarum. In colica thea obesse dicitur, nec non post pingua assumpta. Ex abusu diabetes, cacoehymia, cachexia, chlorosis, ventriculi & intestinorum debilitas oriri possunt.

Obs. In China cautum est legibus, ne quis divendat hanc herbam, nisi post certam ætatem ab exsiccationis tempore adeptam; alias enim ob restans principium narcoticum nocere solet.

§. LIV.

Theæ succidanæ variæ dantur species. *Thea De thea succidanæ.*
 Romana est Botrys Ambrosioides Mexiocanna C. Bauhini. Gallorum Apalechine est herba Cassina, e cujus succo potionem conficiunt in Florida. Theæ veræ etiam substituitur Veronica, Teucrium verum, Vitis idæa foliis subrotundis non crenatis, baccis rubris, folia Myrti, Brabanticæ, Beton. Urtic. mort. Tussilag. Fragar. Agrimon. Euphras. Pyrol. Scabios. Paralif. Virg. aur. Clematid. Daphnoid. Gnaphalii montani, Ceras. Persici, Rut. mur. Plantag. acut. Sanic. Hepatic. Branc. Urfin. Balsamin. fem. Meliss. Salv. Rorism. Rubi rosæ folia aliis succidaneis præferenda sunt, quia herogeneo carent sapore. Kempferus in amœnitatibus exoticis docet, si quis æmulum thea velit quærere, quærendum esse ex classe soporiferorum.

§. LV.

Hæc de potulentis pertractasse pro scopo nostro sufficere videntur. Eorum abusus omnino noxius est, quamvis sint salutaria ipsa. Legitimus usus necessitati, utilitati atque hilaritati inservit. Ipse subinde gaudia curis miscere solebat Socrates, neque symposia detrectabat; nullus igitur video, cur legitimus usus nobis non æque sit licitus! cujus institutionem dedisse juvat. Qui autem plura de hac materia legere cupit, scripta Medicorum Physico medica imprimis diætetica evolvat e. g. Cel. HOFFMANNI fundamenta Diæteticæ ex principiis Physico-Mechanicis &c. Cel. JVNCKERI conspectum theoreticum. Cel. SCHVLTZII theses

theses de materia medica. D. NEVMANNI prælectiones chemicas. Illustr. HAMBERGERI elementa Physices, aliosque, qui de his doctrinis tradiderunt, auctores, ex quibus specialiores determinationes fluidorum atque potulentorum haurire poterit. Nos vero pro scopo nostro satis de hac materia in medium attulisse credimus; hinc ut in proximi emolumentum cedat, optantes, labori nostro imponimus

FINEM.

